170

SABELLICUS
IN
NATALEM D. V. M.
DAV. PAFFROED
1490.

G
44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

~~72.~~ 170
g 44
CA. 1487

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

¶ Marci Antonij. Sabellici. in natalem diem diue virginis Marie

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

fl.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

❡Marci Antonij. Sabellici. in natalem diem diuę virginis Marie elegeia prima īcipit fœlicit.

Irginis alma dies tellus quam pontus et ęther
Laudat ⁊ immensi regia tota poli
Salue feſta dies cœleſtis conſcia partus
Virgineo ſalue digna puerperio
Venturam cecinere pij te carmine vates
Teqꝫ ſibyllini non tacuere chori
At tibi naſcenti quanuis pręnuncius iret
Splendidior ſolito: lucifer ater erat
Iret ⁊ aurato coniunx titonia curru
Candidior cygnis: candidiorqꝫ niue
Fuſcior illa tamen viſa eſt quis credere poſſit
Quanuis zelotypo ſit placitura viro
Clarius aſtrifero ſidus ſplendebat olympo
Cedere cui potuit phœbus ⁊ alma ſoror
Illius aduentum manes ſenſere profundi
Cerberus: et ſtygiam qui regit arte ratem
Cynthius oceano nitidum quum tolleret axem
Et matutinis ſurgeret actus equis
Vidit et inſolito radiantem lumine mundum
Numine nonnullo ſenſit adeſſe diem
Quid cunctamur ait: tantos ne morabimur ortus
Naſcere iam fas eſt: naſcere ſancta dies
Dixit ⁊ extremis ſubito ſe prodit ab indis
Cętera ſpectaſſes nil niſi ſplendor erat



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Non pluuios lux illa notos: boream ve niualem.
Sed mollis zephyros ſenſit ⁊ ethesias.
Credita nec cęlo eſt longis erroribus vlla:
Dulcia ſed vernans carmina fudit auis.
Perqꝫ diem nulli tentarunt bella leones.
Nullaqꝫ montanis prę da petita lupis
Perqꝫ diem tutę iacuerunt littore phocę
Forſitan ⁊ ſtygiam non tulit vnda ratem.
Pallidus inuiſis orcus parſiſſet ⁊ vmbris.
Parcere ſi poterat triſtior ille locus.
Pulchra fuit mundo fulſit quę prima recenti
Nempe dicu longe pulchrior vna tamen.
Pendebant mites in apricis collibus vuę
Strataqꝫ erant paſſim poma ſub arboribus:
Presſerat erigones flagrantem cynthius aluum
Inſtabatqꝫ procul nec glacialis hyems.
Libra diem tacitis ęquabat noctibus et iam
Spirabat tepido miſſus ab axe notus.
Verna fuit tamen illa dies vernare putaſſes
Aequo reos fluctus ęthera tuta polos.
Hęc eſt illa tui ſacri lux conſcia partus
Anna parens tantę virginis anna parens
Fœlix cui matri mater veneranda tonantis
Annuit ęthereo ſuſpicienda throno
Illinc maternos vultus miratur et vlnas
Et quę ſe totiens ſuſtinuere manus
Natalem celebrate ſacrum garamantes et indi
Heſperię gades ⁊ boreale ſolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Hunc immenſa colat tellus hunc pontus ⁊ ęther
Cœleſtes mentes ſidereiqꝫ chori
Ipſe ego pampineo ſeruatis menſibus anno
Virginis ante aras maſcula tura dabo
Solemnemqꝫ diem traducam carmine ⁊ hymnis
Suſpendamqꝫ ſacro munera noſtra tholo
Immodicaſqꝫ preces addam:da virgo quotannis
Ipſa tuo vati myſtica ſacra coli
Tu vero ęternum quotiens lux alma redibis
Sępius hoc vultu vel meliore nites

## ¶Regiam progeniem diuę virginis
## ¶Elegeia ſecunda

Egia progenies regis veneranda creatrix
Sidera cui parent tartareiqꝫ lacus
Natales regina tuos en tollere cantu
Aggredior cœptis intemerata faue
Annue ⁊ ęternum valeant permeſſidos vndę
Phocaicę laurus lebetridumqꝫ chori
Tu cynoſura mihi medio dux certa profundo
Montibus ⁊ ſiluis tu mihi fida comes
Sed quid regalem repetam ne ab origine gentem
Et qui te ſancti progenuere patres
Prodit in exhauſtum ſeries immenſa laborem
Pauca ſequar multum ſic quoqꝫ gliſcet opus
Ille pius vates diuini carminis auctor
Ille ſenex gentis gloria prima tuę
Qui nō ęquoreōs fluctus cœliqꝫ meatus
Dura nec ęolij carceris imperia



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Qui non magnanimos reges non triſtia bella
Sed ſecreta poli prodidit eloquia
Cœlitus o quotiens raptus ſuper ęthera ſenſit
Unius ⁊ trini numen adeſſe dei
Ter veneranda tribus quotiens lux vna figuris
Eſt quoqꝫ ſidereo viſa ſedere throno
Uirgineos partus ⁊ myſtica fata nepotis
Credibile eſt etiam tum didiciſſe ſenem
Cętera fatidico meditatus carmina plectro
Creditur ante ipſam pręcinuiſſe diem
Huius idumeę poſt fatum cōditor arę — Salomon
Rege ſatus ſalomon regia ſceptra tulit
Hunc ſequit̃ Roboā roboam trietris abię — Roboam
Qui ſubit ethyopem cōtulit aſa ducem — Abias
Inde philiſteis ditiſſima regna tributis — Joſophat
Ille tenet cuius nomina pauit arabs
Mox videre ioram nō mitia ſidera regem — Joram
Sidus ochozias triſtius inde tulit — Ochozias
Difficiles audax populi molitur habenas
Quę ruit ante ſacras ſanguinolenta fores
Hinc regit ille puer quem inter miſeranda ſuorum
Funera nutrices ſurripuere manus — Otholia
Uictor amaſias ſceleāto ſāguīe manes — Joſias Amaſias
Uindicat. ⁊ patris regia ſigna tenet
Cui vix vna tribus luſtris acceſſerat ętas — Ozias
Subſequitur fato deteriore puer
Inde ſubit ſacrę poſuit qui limīa portę — Joathan
Limina rhyphea candidiora niuę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Magnꝰagā hoſti pœnas ſua ſacra relinquēs Agā
Dat pro neglecta relligione ſyro
Imperat ille piꝰtēpli q̄ ſancta recludit Ezechias
Limina: ⁊ antiquos iuſſit adeſſe choros
Ditior hic crœſo celebrat quem fabula lydo
Ditior Jdeo laomedonte fuit
Te taciturus eram luci fabricator ⁊ arę
Sed veneranda domus me tacuiſſe vetat
Huic ſuccedit amon: cuius poſt fata ioſias
Regnat ⁊ in vanos concitat arma deos
Euertit magicos lucos euertit ⁊ aras
Maioris faſſus numen adeſſe dei
Quid ioachim reliquoſq; canam poſt triſtia regni
Excidia illuſtris qui ſubiere viri
Fatidicos ne ſenes num carmina ſacra reuo luam.
Cœlicolumq; patrum ſancta miniſteria
Tu mihi virgo ſatis ſumma ad prȩconia ſiue
Epica plectra magis: ſeu magis iſta placent
Tu ſplendor tu gentis honor tu ſumma tuorum
Gloria: et antiqui phama ſuprema laris.
Deniq; tu quicquid poterit ſuccurrere vati
Ara tibi erecta eſt ad tua ſacra veni

¶ Quo ritu fit ad diuę virgis aram ſacrificandū
¶ Elegeia tercia

Urrite virgineas circum diſponite lauros
Qua rudis hęc dominę tollitur ara meę
Ite inſtat ſolemne ſacrum ꝑperate miniſtri
Abſit et a votis vana ſuperſtitio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Haud quiſquā ante aras aurata fronte iuuencum
Lanigeram ve mihi de grege ſiſtat ouem
Non caper hic baccho viuax non cerua dianę
Nō tibi phœbe celer hic cadit ictus equus
Irrita ſacra vacent iam iam vacet irritus ille
Sacroꝝ ritus quem tenuiſtis aui
Pro furor ille fuit. gaudent nō ſanguine quis nam
Ignorat cœli numina ſed precibus
Ter luſtratus aqua niueaqꝫ in veſte ſacerdos
Prodigus arcanis det pia tura focis
Stent pueri circum trepidi innuptęqꝫ puellę
Perſpicuus certa virginitate chorus
Quem ſi forte iuuat feſtas ductare choreas
Comprimat intonſas candida vitta comas
Succincti niueas veſtes altaria circum
Virginis ętherei nomina magna vocent
Sacrificis nabatea focis dent tura miniſtri
Dent quoqꝫ coricij mollia fila croci
Stet matrona ꝓcul moueo ꝓcul inde reſiſtat
Quęcūqꝫ eſt primos paſſa puella toros
Non florę ludicra paro non origa baccho
Mollia cecropię non paro ſacra deę
Sed quę precipuos meruit geſtare triumphos
Perpetuūqꝫ decus virginitatis habet
Non hanc laſciui motus riſus ve procaces
Sed merita fides ⁊ pia tura mouent.
Hic voces iactare pias ad ſidera fas eſt
Exaut iuſtas virgo vocata preces

Turicremas moneo veneratere virginis aras
  Protinus ⁊ tutum carpe viator iter
Hinc licet ⁊ typhis committat carbaſa ventis
  Non niſi mitificas ſentiet etheſias
Uota hic maturis pre frugibus annua ſiſtat
  Uinitor: et quiſquis vomere ſulcat humum
Hanc pro fœtura pecorum tutela magiſtri
  Pro grege munificam rite litate deam.
Hic pacem qui pacis amat lęta ocia quęrat.
  Quęritet ⁊ ſupplex hic ſibi pauper opem.
Non niſi vocalis quãuis modo mutus abibit
  Claudus eat celeri ceſſerit inde gradu
Audiet ⁊ ſurdus: fuit ⁊ qui lumine captus
  Protinus aſpiciet faſſus adeſſe deam.
Deniqꝫ quiſquis erit ſanctas qui aduenerit aras.
  Uirginis imploret numina magna meę
Nos quater o liceat totis venerabimur annis
  Quem de ceſpitibus fecimus eſſe locum.
Ceſpitibus duris rudis hęc mihi tollitur ara
  Uiuere ſe fas eſt nil niſi marmor erit
Hic ⁊ maturę pendent cum vitibus vuę
  Et quum decreſcit frigida rurſus hyems:
Dulcibus hic etiam vernant quum rura diebus
  Et quum triticei pręteriere dies
Supplicibus votis ſtantes adoleuimus aras.
  Ignibus effundet garrula turba preces:
Hic toto bona verba die dixiſſe iuuabit.
  Sępius ⁊ dominam ture litaſſe meam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Ad nazareth natale ſolum virginis
Elegeia quarta

Ic rogo phœbeos quę ꝓxima ſuſpicis ortus
Naſcentis dominę conſcia terra meę
Illuxit quum lęta dies: quę diua tonantis
Humano generi eſt ⁊ tibi nata parens
Quę tibi ſigna dedit cœlum q̄ nuncius ęther
Qualis eras ioachim regia parua ſenis
Hic quāuis nitido phœbus prodiret olympo
Hic minor ętherea lampade ſplendor erat
Cœleſtes circum cunabula parua miniſtri
Quot ſteterant trepido lucida turba pede
Quales parua domus circumfundebat odores
Quis dabat arcanis mollia tura focis
Ne tua diſſimula mihi gaudia. ſuſpicer ante
Cernere p̄ſentes non meruiſſe deos
O nimium fœlix tellus tua ſi bona noris.
Terrarum nulla es maxima terra fores
Sic quoqꝫ quis neſcit delos tibi ceſſit ⁊ ida
Iſta licet vanos iactet ⁊ illa deos
Ceſſat et ęquoreis vndis circūflua cypros
Illuſtriſqꝫ ſamos trinacriumqꝫ ſolum
Deniqꝫ quęcūqꝫ eſt tellus commenta per orbem
Quos male pro ſuperis ture litaſtis aui
En age phœbeos caſus ſcrutemnr ⁊ ortus
Quaqꝫ fremens calido ſpirat ab axe notus
His quoqꝫ ripheas addas licet anxius arces
Nullus erit toto maior in orbe locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Non mihi maior erit q̄ primos terra parentes
Aedidit humanum proditur vnde genus
Non natale ſolum ponto quum merſa iacerent
Omnia. qui ſtruxit rexit ⁊ arte ratem
Non moyſi ſint ampla licet cunabula tanti
Primorumqȝ trium tecta verenda patrum
Non quę magnanimos reges magnoſqȝ prophetas
Nouit. idumęi regia clara ſoli
Proſtratam bello tenuit te roma quid inde
Non valeam ſi non tunc quoqȝ maior eras
Iactet marte ſatos fratres regeſqȝ ſuperbos
Oebaliumqȝ addat ambitioſa numam
Quiqȝ reos cędis iuſſit ſe conſule natos
Tanta fuit patrię gratia tantus honor
Lactet ⁊ auſonium ſpreuit q̄ clelia tybrim
Quęqȝ fuit latię phama pudicitię
Et quem deceptę plectentem crinina dextrę
Cernere magnanimus porſena non potuit
Quiſqȝ ſibi pontem paſſus poſt terga reuelli
Ipſa licet contra ſtaret hethruſca manus
Tercentum fabios aſſertoreſqȝ camillos
Nec quibus agnomen aphrica victa dedit
Non catulos decioſqȝ duos geminoſqȝ catones
Non capitolini nomina magna laris.
Nec taceat coſſum nec te marcelle relinquat
Non curios parcos fabriciumqȝ ſenem
Tollat ⁊ immenſum ſyllam marioſqȝ feroces.
Pompeioſqȝ duos ceſareamqȝ domum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Ipſe etiam thyriȩ tollant ſe laudibus arces
Iactat ⁊ ingentes punica terra duces
Neu ſileant gades. nec gens ſuprema britanni.
Aruigarum fas eſt aruigarumq; vocent
Gallia ſi quid habet ſi quid germania laudent
Cantet ⁊ illuſtris grȩcia docta viros
Arſacidumq; genus memorent ⁊ prȩlia parthi
Eptolemȩorum nobile ſtemma pharos
Clarior vna quidem terraq; beatior omni
Naſcentis dominȩ conſcia terra meȩ.
Tu bethleem ſummi regis veneranda creatrix
Crederis hoc ipſum prȩteriiſſe decus
Hanc primam immenſi cœli fabricator ⁊ orci
Factus homo mixto nomine preſſit humum
Hȩc igitur regum regem tulit illa parentem:
Vtraq; terra ſuo data puerperio
Iſta vel illa coli digna eſt ſit longior ȩtas
Sentiet alterutrum munera noſtra ſolum
Nunc age virgineo tellus memorabilis ortu
Suſcipe deuotȩ munera parua lyrȩ.
Tu mentem metire tui non munera vatis
Munera non flectunt. ſed pia corda deos

## ¶ De natali diue virgis ad illuſtres ſui ſeculi poetas. Elegeia quinta.

Atalem celebrare diem pro virginis almȩ
Virginis ante pium poſtq; puerperium
Huc properate pij vates cantare periti
Luſtret honoratum laurea ſancta caput

Ipſe ego virgineę factus modo villicus arę
Gramineos ſterno ſedulus ecce thoros
Hic ſub pampinea carmen meditabimur vmbra
Quem fons perſpicua leniter ambit aqua
Stant circum platani denſeq3 ex ordine laurus:
Ceſpitibus medio tollitur ara ſolo
Lux ſolemnis adeſt iam dum ſubſellia fixi:
Ite precor latij phama ſuprema viri
Docte philelphe veni fas eſt pater optime cultam
Claudere pro tanta virgine ſphortiadem
Imperfecta ſeni ne ſit ſua pheltria vati
Ne ve ſabine tibi belgica bella more.
Tu quoq3 ne ceſſa muſis comitare ſicanis.
Panhormita tuę gloria trinacrię.
Huc pontanus eat necnon mihi redditus oris
Pannonię maior nomine callimachus.
Phileticumq3 ſuum nihil hernica nympha moretur
Nil verulana meum mœnia ſulpitium
Huc volſcus marſuſq3 adſit iuniorq3 catullus
Adſit ⁊ arguti laurea pierij
Nec decantati totiens remorentur amores.
Te mihi ſed cultam coſmice tende chelyn
Calphurni pia muſa veni: tuq3 ipſe venito
Carbo ferox tanto conſpiciende choro
Dalmaticum cipicon: cupiduſq3 huc plectra requiro
Cenomani multum ſobria cimbriaci
Tu pylade comitate tuo doctoq3 catullo
Corneli huc adſis huc ⁊ alexis eat.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Hec meus aurato teneat ſubſellia plectro:
Cynthius auſonię phama futura lyrę
Creticus argiuis adſit reuocatus ab oris
Et tibi qui fuerat cretice magne comes.
Tranſeo: ſed multos forſan quos phama recondit
Et quorum nondum cognita muſa mihi eſt.
At vos pieridum vates decus ite vocati
Qui ſolemnis adeſt hunc celebrate diem
Omnia virgineo reſonent mihi carmine ꝛ hymnī
Non niſi per laudes lux genialis eat
Ipſa ſui interea patris miranda creatrix
Aethereum gratos ſpectet ab arce choros
Illuſtreſqȝ viros nunc primum forte reuulſos
Fontibus aoniis ad ſua ſacra vocet
Et ſibi facundo meditari carmina plectro.
Gaudeat ęthereo conſpicienda throno

## De virginitate eiuſdē Elegeia ſexta

Hactenus ecce tuos virgo venerabilis ortus
Diximus et gentis nobile ſtemma tuę
Uirginitas honos mirandaqȝ gloria nunc me
Admonet: incœptum dirige vatis iter.
Non leuis exiguo verſatur puluere currus
Fluctuat in tenui non mihi linter aqua
Planicies hinc vaſta iacet: iacet inde profundum
Siue paro terris pergere ſiue mari
At faueas nulluſqȝ in eis moderetur habenis
Automedon: typhis nec regat ipſe ratem

Alter et autumedon medio certamine credat
Alter ⁊ in medijs te duce typhis aquis
Te ſine conatus fruſtra meditabimur omnes
Et ſine te nullus ꝓderit vſqꝫ labor
Preterea nō ipſe mihi berecynthius atis
Luditur aut quales pauit adonis oues
Non his raptus hilas. nō triſtia fata lycurgi
Electa nec in ſolitis hippodamia rotis
Deniqꝫ non priſco decies cantata cothurno
Fabula ſed mentem grandius vrget opus
Ardua res certe eſt vani non indiga phuci.
Queqꝫ velit plectro nobiliore frui
Quiſquis enim regina tuas comprēdere laudes
Audeat: et verſu premia magna ſequi
Ille etiam memoret motus ⁊ ſidera cœli
Quam vernante die plurima vernit auis
Quot libyce ſpirante noto glomerantur harene
Et quot cecropium ver populantur apes
Plus tua virginitas meruit q̄ꝫ grata tonāti
Ordinis adſtātis ſancta miniſteria
Et plus quam quos ipſa ſup lux trina recumbis
Cœlitibus cunctis nomina grata chori
Non tantum numeroſe ſeraph meruiſſe putaris
Deniqꝫ non reliqui tam meruere chori
Quem non elyſus repetit? clamor ab aruis
Quem nō mille patrum cōminuere preces.
Virginitas hec ſola poli ſecreta tenentem
Creditur in terras elicuiſſe deum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

O fœlix nimium fœlix quem non capit orbis
  In tua ſe fudit viſcera factus homo
O nimium fœlix cœlos qui ⁊ cuncta creauit.
  Lactaſti tanto pignore digna parens
O nimium fœlix dextra ſua regna tenentem.
  Altrices cuius ſuſtinuere manus.
Te cœlum te terra colit te pontus ⁊ ęther
  Forſitan ⁊ ſtygię te venerãtur aquę.
Sis fœlix quotienſqȝ precor reuocabere vati
  Protinus huc adſis delitioſa tuo

### ¶ De p̄ſentatione virginis ad templum
### ¶ Elegeia ſeptima

Enerat alma dies qua te pia vota mariti
  Soluere cœlicolis fas erat anna tui
Exierat teneris iamdum virguncula cunis
  Ibat ⁊ trepido pergere docta gradu
O quales voces q̄ȝ dulcia verba parenti
  Addidit arcano blanda puella ſono
Tanta quidem non talis erat cum viſa per annos
  Poſſe capi œbalio fertur amata numę
Gratus vterqȝ parens ad limina ſacra tonantis
  Limina ryphea candidiora niue
Suppliciter niuea ſtabãtqȝ in veſte ſacerdos
  Ante fores gratum conſtituiſtis onus
Candida veſtis erat prę cunctaqȝ tempora lauro
  Cętera virgineum non decuere caput.
Hic vtriuſqȝ manu templis illata parentum
  Conſtitit ante ipſum parua miniſtra tholum

Gratius hęc quando productam munus ad aras
Quādo dari potuit victima tanta deo
Pluris parua fuit virgo. mactare parentis
Ante aras natum q̃ ſenis obſequium.
Quam noua quę primus libauit dona ſacerdos
Quam populi ſanctę deniqz primitię
In populum hic oculos rerum ſator ipſe retorſit
Cœpit ⁊ in melius vertere conſilia
Sperari cœpta eſt miſero concordia mundo
Senſerunt manes proxima fata pij
Hęc erat illa pijs totiens repetita ꝯplexis
Exemptura ſua virginitate nefas
Quicquid prima parens mortalis abſtulit vna
Virginitas tanti reſtituiſſe fuit
Intermiſſa mouent quid te cōmertia natę.
Quid dederis neſcis ne moueare parens
Quod non vis auri totus ve redemerit orbis
Quam das pro populo ſola puella poteſt.
Hinc erit ille nepos inſonti ſanguine qui te
Humanumqz velit reſtituiſſe genus
Horridus immerſi trepidat quem ianitor orci.
Prorſus ⁊ infernę nauita triſtis aquę
Purget ⁊ elyſios campos clauſtriſqz refractis
Emergat qui auras victor ad ęthereas
O fœlix quicūqz datum ſuffuſa rubore
Cernere pręſentis virginis ora meę
Indolis o qualis ſpecies q̃ clara futurę
Induerat vultus ſigna pudicicię.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Non ſata mortali cœlo dimiſſa videri
Hic pudor hic pietas hic decor omnis erat
Virginibus ſubducta loco penetrale ſubiuit
In medio talis conſpicienda choro
Qualis nocte cadens prima inter ſidera veſper
Inter hamadryades delia qualis erat
Tu veneranda parens cum cõiuge parua reuiſis
Limina iam voti liber vterq; ſui

De miſterio v̄gis ad arã in tẽplo. Elegeia. viij.

Icite idumeę veſtra eſt nam phama puellę
Quãdo paleſtini plus meruere foci
Quãdo magis licuit ſuperos ſperare ſecundos
Quãdo fuit tãtus relligionis honor
Quam dominę quum dextra meę geſtabat acerram
Placabatq; ſuos parua miniſtra lares
Dicite dimiſſo ꝓperat dum ſingula vultu
Virgineo qualis ſedit in ore rubor
Nunq; hilaris non mœſta fuit per cętera nonne
Numinis omne fuit omen in alloquio
Quid totiens veſtę fanum penetrale vetuſtas:
Veſtalemq; refert ambitioſa chorum
Integritas ſeruata metu non grata miniſtris
Sed patrię ritus relligionis erat
Hinc pudor inde metus ſperataq; verbera ſeui
Pontificis: veſtę ſi periere foci
Terrebatq; ſpecus collinę ꝓxima portę
Nõ niſi pollutis cognita virginibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Uirgineum nunq̃ ſpargi mea virgo cruorem
  Uiderat aut terris inuida membra tegi
Uirginitas ſed grata fuit quam parua tonanti
  Uouerat: ⁊ ſanctę norma pudicicię.
Non merui. ſed ſi talem ſortita miniſtram
  Ueſta foret patrum vana ſuperſtitio
Credibile eſt vix ſena deę ſat luſtra fuiſſe
  Emeritaqꝫ manu ſe voluiſſe coli
Pro populo ſola hęc faciat permittite magni
  Pontifices: ſanctis det pia tura focis
Uoſqꝫ paleſtinę templi tutela puellę
  Fundite deuotas dum facit illa preces
Cuius dextra magis poterit flexiſſe tonantem
  Aut quę venturo gratior eſſe manus
Quam totiens qua ſe guſtandum deſtinet: aut qua
  Optet ab ęthereo culmine lapſus ali
Tu quoqꝫ magna roga quid eñ tibi virgo negatum
  Ille velit cui ſis ſępe vocanda parens
At te humilem peruamqꝫ geris minimamqꝫ miniſtram
  Credis ⁊ in tanto te nihil eſſe choro
Cunctarum tu iuſſa facis dictaqꝫ ſacra
  Bisqꝫ die obſequium terqꝫ operata pium:
Longęuęqꝫ frequens adſtas ſtudioſa magiſtrę
  Deceſſura pio non niſi iuſſa loco
Synaicas leges ⁊ fata ꝓphetica diſcis
  Uirginea ſortis nuncia fata tuę
Pro quotiens tantam matrem mirataq̃ precaris
  O venias oculis conſpicienda meis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Virgo ſupꝛema veni miſeri ſpes vnica mundi
Ante tuos liceat pꝛocubuiſſe pedes.
Figere pꝛętentę detur pꝛecoꝛ oſcula plantę
Et tua ſi nō ſim ſeruula credar ego
Sed quid ais cuiuſue cupis dic ſerua videri
Cuius adoptatos pꝛocubuiſſe pedes
Si neſcis tu illa es virgo qua miſſus olympo
Naſcitur intacta virginitate puer
Eia age exacto gemino tua pręmia luſtro
Pręmia momentum grande ſalutis habe

¶ De apparatu v̄ginei triūphi. et in pͥmis de ipſiꝰ currus oꝛnatu ¶ Elegeia nona

Eſſit inexpleti tandem poſſeſſoꝛ auerni
Et qua victoꝛ erat hac quoqꝫ parte iacet
Ducite laurigeros huc templi ad limina currus
Sit victrice nihil pompa futura minoꝛ
Aureos axis erit temo aureus oꝛnet eburnas
Stellataſqꝫ decet plurima gemma rotas
Hic carchedonij radient opaliqꝫ rubentes
Aſſimilis viridi tuqꝫ ſmaragde freto
Chryſoliton duruſqꝫ adamas tereteſqꝫ cylindri
Et quod quęrenti dat tibi cythis arabs
Acopis ⁊ quondam pꝛecio ſpectatus achates
Foꝛtis ālectoꝛię gallaicoſqꝫ duplex
Multicoloꝛ mitrax nec non ⁊ candidus ion
Gaſidas ⁊ venis pulcher apiſte tuis
Splendeat hic arabes quicquid miſiſtis ⁊ indi
Atqꝫ laboꝛatum cętera ſpiret ebur

Atq; duplex rerum ſeries vtruiſcere quarum
Altera credatur nobiliore manu
Altera non notis rudius celate figuris.
Perſpicuūq; tantum relligionis opus
Hic ſpectare noui liceat primordia mundi
Ut terras rerum condat ⁊ aſtra parens
Juſſus ⁊ elatas ſedes ſibi vendicet ignis
Aer vt in medio preſtet ⁊ vnda loco
Utq; nouis errent ſiluis animalia: primus.
Atq; parens ſtupido corpore ſurgat humo
Hic male contacti ſpectantur crimina ligni:
Et nece fraterna commulata manus
Exilio damnata domus tumidiſq; ſub vndis
Obrutus: vt quondam maximus orbis erat
Arca vetus rectorq; ſenex ſoboleſq; ſub illa
Et modo victricis nobile ſtemma domus.
Obſequiumq; ſenis prolem mactare parentis
Et pueri inſontis myſtica venditio
Nec procul aſſurgant diuini culmina templi
Geſtaq; cum populis proelia finitimis
Niliacus carcer deſertaq; errata ameſq;
Non niſi diuino contolerata cibo
Diuiſumq; fretum nec non remeantibus vndis
Spectentur pharię quę periere manus
Jgneus ille rubus moyſes quem viderat: et quę
Punice percuſſo proſiluiſtis aquę
Deniq; ſynaicę leges reparataq; regna
Pontifices templi: virgineuſq; chorus

Se quoqꝫ permixtam virgo galilea miniſtris
Cernat ⁊ arcanos ſępe adolere focos
Parte alia miranda quidem ſint multa nec ipſis
Intellecta nouis condita imaginibus
Hic miretur vti fumoſis nuncius alis
Portet ab ęthereo culmine miſſus aue
Inſcia vt aſpectu titubet virguncula primo
Tradat vt edoctas ad pia fata manus
Atqꝫ eadem pręgnantis vti montana ſororis
Viſat vt optatum gentibus ędat onus
Spectentur pueri inſontes infanda tyranni
Imperia. ⁊ domini nuncia ſtella ſui
Atqꝫ tribus pręlata magis ſint munera: ⁊ ipſum:
Monſtratum coelo tutius effugium.
Auctorem texere ſuum deſerta canopi
Concidit in matris plurima palma manus
Fatidicuſqꝫ ſenex reſerans ſua fata: relatus.
More patrum rurſus in ſua templa puer
Regis ſancta cohors ⁊ publica verba ſalutis.
Et data biſſenis dogmata diſcipulis.
Obuius aut matri ſtygio ſit victor ab orco
Horteturqꝫ palam terqꝫ quaterqꝫ ſuos
Deniqꝫ vt ad ſuperos ſcandat rediturus ad ipſum
Vltima poſt mundi ſęcula iudicium.
Ipſa licet media miretur ſingula pompa.
Tale decus rerum neſciat eſſe ſuum
Ornet ⁊ eoi currus faſtigia laurus:
Laurus perſpicuę virginitatis honor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Candida vela duo pręſtat ſuper aureus illis
  Ales erit cuius funera nouit arabs
Non niuei iungentur equi:non deniqꝫ tigres
  Subiuga ſed caſti monocerotes eant

¶ Apparatus ⁊ pceſſus virginalis triūphi

Cande triumphales virgo tāneia currus
  Pro foribus templi pompa parata tibi eſt
Jam dudum captiua phalanx pręcedere cœpit
  Poſt humeros ſęuas turba reuincta manus
Pręceſſit ſuperis inuiſa ſuperbia cuius
  Jn ſua conſurgit cornua torua caput
Jnfenſę comes eſt infenſior ira ſorori
  Pergit inexpletę pallor auaricię
Liuida cura ſubit nec non damnata perenni
  Torpori facies horrida deſidię
Conſequitur veneris ſpecies lutulenta nefandę
  Formaqꝫ damnoſę luxurioſa gulę
Ocia fœda ſimul:ſimul eſt quoqꝫ viſa voluptas
  Et cum mortifero crimine culpa ſequi.
Segnities ⁊ ſomnus iners tactuſqꝫ nefandi
  Nequicię mollis luxus:inanis honos.
Eumenidum victę facies ⁊ flumina auerni
  Deniqꝫ pręſigni pręteriere nota
Omne nefas claro pręmiſſa eſt pręda triumpho
  Ne tibi ſis virgo glorificanda morę
Turicremis abſcede focis:ariſqꝫ relictis
  Virgineo prodi conſpicienda choro
Jpſa ſed eoo victrix iam tollitur axe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Victricesqꝫ pręmit laurea parta comas
Inſtita virgineas abſcondit candida plantas
Perradiat niueos plurima ſtella ſinus
Non alius quiſqꝫ decuit me iudice cultus.
Iudicium candor virginitatis habet.
Ite licet ſolimę veſtra quoqꝫ phama miniſtrę
Carpite communis pręmia militię
Conſortes meriti collegaqꝫ turba fuiſtis
Sit tua tam claris gloria militibus
Ite coronatę victricia tempora lauro:
Dextra gerat palmam concutiatqꝫ manus:
Proxima progreſſo fuerit manus iſta triumpho
Carmine virgineum teſtificata decus
Succedat numeroſa choros pompamqꝫ ſequatur
Quęcu͂qꝫ eſt nullos paſſa puella toros
Adſit et a ſolimis virgo digreſſa ciliſcis
Adſit ab irriguis vallibus herici
Accolit ⁊ quę te fluuio iordanis amœno
Pręfortunati conſcia nympha vadi
Si qua tenet diras famoſi aſphaltidis vndas
Callirohen medicam geneſaramqꝫ bibit
Tharicien quęcu͂qꝫ colit tenāqꝫ ſebonqꝫ.
Et te ſamario condita lydda ſolo
Intactas huc tāna manus huc mittat idumę
Et hedoros quicquid virginitatis habet.
Nec ſit gaza morę raphię properatę puellę.
Protinus eluſam linquite ⁊ epiceron
Vos nihil heſſeni fas eſt huc mittere nuſquā

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Palmiferis errat fœmina veſtra locis
Nec ſtimulat laſciua venus ſobolis ve cupido
Sed ſobolis pręſtat conuena turba vicem
Incola non deſit caſi quem lumina phœbi
Cernere naſcentis nocte ſilente volunt
Huc coeat galilęa phalanx bethleiaq; turba
Queq; colunt piares ardua ſaxa manus
At vos municipes neu linquite veſtra puellę
Mœnia: ſacrificis ſed date tura focis
Nemora ſit rebus victricia ſigna propinquant
Ipſa triumphatrix gloria veſtra venit
Ite ⁊ victrici linguis animiſq; fauete
Reddite tam clarę premia militię.
Cingite mox lętam velis ⁊ frondibus vrbem
Gaudeat ignota relligione dies
Clamet io vulgus repetitis vocibus ipſi
Seq; ſciant nunq̄ plus meruiſſe lares
¶ De cauſis dn̄icę annũciatiõis Elegeia.x.
Uſticię moderare tuę gladiumq; remitte.
Iuſtus es atq; idem crederis eſſe pius
Parce ſatis luimus miſerandę crimina culpę
Poſtera progenies inſcia turba ſumus
Reſpice poſſeſſum ſtygijs pręconibus orbem
Deſinat antiquum perdere cuncta nefas
Numen in immenſum primi coiere parentes
Supplicij immenſus debuit eſſe tenor
Sed tua te pietas flectat generator olympi.
Pœnarum exhauſtum credimus eſſe nimis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Te cœlum te terra rogat te pontus ⁊ ęther:
Muſcoſi fontes ꝑſpicuiqꝫ lacus
At te ſtagna ſoli ſinuoſaqꝫ flumina clamant
Clamat ab immenſis cędua ſilua iugis
Indomiti colles poſſeſſaqꝫ rura colonis
Seu rigeat bruma ſeu modo vernet ager
Te volucres piſceſqꝫ orant te grandia cetę
Quadrupedumqꝫ greges omnigenumqꝫ pecus
Quicquid in humanum vertiſti conditor vſum
Immemorem domini te vetat eſſe ſui
Cui ſpectanda olim numerandaqꝫ ſidera cœli.
Cui data terrarum machina tota poli
Cui quoqꝫ debuerant animantia cuncta teneri
Tartareo merſus ſub phlegethonte tacet.
Illa tibi aſſimilis ſpecies iacet obruta flammis.
Auctoris mundo nuncia forma ſui
Humanum miſerata genus te cuncta precantur
Teqꝫ rogant populi contrahe fata tui
Hoc rogat elyſijs clamor repetitus ab aruis
Quid veteres tantum commeruere patres
Ut ſileam fauces contuſaqꝫ pectora guſtu
In medio phama eſt inuoluiſſe virum
Supplicium doluiſſe tamen. pœnamqꝫ perennem
Comminuit tanti pœnituiſſe fuit
Te vocat ille ſenex oppreſſę conditor arcę
Qui niſi biſdena ceſſit olympiade
Te moyſi ſpectata fides: atqꝫ impigra fratris:
Imperia ⁊ ſanctę premia militię

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Te patris obſequium meditantis funera nati
  Quo caſura magis victima grata foret
Te quoqꝫ longeui mitiſſima facta parentis
  Unde per illuſtres exoluere tribus
Te pietas nati fratrum quem turba perodit.
  Fatidiciqꝫ rogant ſobria plectra ſenis
Clamat idumei templi molitor ⁊ arę
  Et qui nos docuit triſtia fata pati
Uirtutum numeroſa cohors tibi deniqꝫ ab imis
  Sedibus extenſas tollit in aſtra manus
Promiſſam ſobolem poſcunt pignuſqꝫ ſalutis
  Omnia ⁊ aduentus tempora lęta tui
Tu natum dimitte polo ſator almę: reperta eſt.
  Fertilis ⁊ tanto ſemine digna ſeges

¶ De vi catholicę fidei aduerſus veteres cœli ꝑſcrutatores. ¶ Elegia duodecima

  Strorum potuiſſe nouos deprendere curſus
  Ueſtra parethonij eſt gloria magna viri
Ite licet radio parum prętendite palmam
  Sitqꝫ perenne decus: ſitqꝫ perennis honor
Cœlorum ſeruare vices docuiſtis ⁊ aſtra
  Quod monſtraſtis iter poſtera turba: terit
Paulatim vaſti vobis auctoribus iaps
  Innotuit moles irrequieta poli.
Utqꝫ hęc biſſenis totidemqꝫ fugacibus horis
  Uertatur tacita lubricitate ſemel
Continuo errantis lunę ſoliſqꝫ labores
  Cognita ⁊ obliqui ſemita zodiaci



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Inqꝫ duodenas abijt diſcreta figuras
Zona vagaturis peruia ſideribus
Mox quibus inter ſe ſpacijs ea ſidera diſtent.
Septenoſqꝫ fuit diſcere cura tonos
Quo non lęte ſenex tu te ſaturne receptes
Quo iouis idęi proſpera ſtella micet
Ut gelido mare mixtus auo per victrica regna
Temperet affinem: mitificetqꝫ iouem
Ut gemina verſere domo tu bellice: monſtri.
Terga cleonei non niſi phœbus amet
Hinc veneris notuere lares dubijqꝫ meatus
Lux quoqꝫ phœbeio ęmula luminibus.
Quo facunde loco mediteris fata repertum eſt.
Cylleni ⁊ phœben quod iuuet hoſpitium
Pręterea ignotum ne quid mortalibus eſſet
Scrutata eſt geminos improba cura polos:
Deprenditqꝫ pari curſu per climata labi
Diſſimlliqꝫ tamen ſidera curriculo
Inde hyadas pleiadaſqꝫ notat craſſamqꝫ nitentem
Quam teneat cœli piſcis vterqꝫ plagam
Qua religioni poli ſpacietur lubricus anguis.
Quo ſitus arcthophylax quo cynoſura loco
Nec ſuperas reſeraſſe fores contenta quieuit.
Mens hominum nixa eſt vlteriora ſequi
Defectus hic phœbe tuos prędicere graijs
Ante diem latio nititur ille ſuo
Unde imbres mixtiqꝫ ruant cum grandine nimbi
Hauriat vnde ſuas concolor arquus aquas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Quid tam dira micent turbantes regna cometę
Unde micent ſubitę bolides vnde faces
Et quę tam denſę iaculentur fulmina nubes
Fulmina quid poſſent elicuiſſe polo
Quid boreas zephyriqȝ ferant quidve auſter ⁊ euri
Quis pluuius terris quisve ſerenus eat
Caſuros lapides cœlo ceciniſſe vetuſtas
Creditur o mira cognitione viri
Fœlices cœli mentes rerumqȝ capaces
Durat adhuc veſter quem peperiſtis honos
Peruentum ad limen cœli eſt poſteſqȝ recluſi
Altius attolli non potuiſtis aui
Non ſpeculę pharięqȝ rudes numeriqȝ ſequaces
Nullaqȝ adhuc tanti ſedula cura fuit
Scrutari ſecreta poli ſedeſqȝ beatas
Et quę ſuſtineāt pondera grata throni
Una quidem ſpecies ternis diſcreta figuris
Hic pater hic natus luxqȝ ſequeſtra ſedet
Trinus ⁊ vnus amor trina eſt atqȝ vna poteſtas
Hic deus atqȝ ille eſt tercia forma deus
Ecquis vbi illa aderat mundo ꝓmiſſa precanti
Fœlices inter ſemꝑ habenda dies
Qua noua ꝓgenies mitti debebat olympo
Progenies noſtrum ſoluere miſſa nefas
Quis rogo cōſenſus mentem ter rite verendi
Uerbaqȝ mirandi mutua concilij
Deniqȝ quis nouit ſolij decreta ſuperni
Non homo ſed tantum relligioſa fides



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Affuit hec teſtis: viditqꝫ hec vna quod ipſi
  Diſcere cœleſtes vix meruere chori
Hec eadem nobis cœli penetrale recluſit
  Traxit ⁊ in ſuperas pectora noſtra domos.
Cedite iam pharię mentes curęqꝫ ꝓcaces
  Quod canimus veſtra ſedulitate caret.
Non radij nūc ſi qua latent non aſtra recludent
  Sed mihi ſancta comes duxqꝫ futura fides

**Ad diuam grāꝝ virginē Elegeia. xiij**

Patris venerāda parens o filia nati
  Sidus ⁊ aſtriferi ianua ſancta poli.
Accipe diua pij non impia munera vatis
  Laudibus immixtas accipe diua preces
Ante thronum nati ſupplex tu crimina mundi
  Diluis: et mundo pandis ad aſtra gradum
Iram ſepe tuę lachrymę flexere tonantis
  Sępe minas lachrymę comminuere tuę
Humanum fortaſſe genus periiſſet ⁊ orbis.
  Et potuit rurſus mergere cuncta chaos
Maternę ni rite preces natiqꝫ patriſqꝫ
  Fregiſſent iuſti fulmina iudicij
Per te tuta quies: per te ſunt ocia terris.
  Preſſa iacent merito bella nefanda tuo
Te duce tuta ratis tumido volat ęquore: tutum
  Quilibet orbe vagus te duce carpit iter
Tu pia virgo facis quod dat ſua munera cœlum
  Supplicibus ſola es portus ⁊ aura reis:
Preſidium lapſis ſola es: lux vnica cęcis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Quodqꝫ datis fruimur tu pia virgo facis
Humanum tutare genus lux alma: tuamqꝫ
Perge precor ſobolem conciliare tuis
Imprimiſqꝫ pios hęc paruula tecta penates
Deuotoſqꝫ tibi ꝓtege diua lares
Pręſide te pueri valeant iuueneſqꝫ ſeneſqꝫ
Et cum virginibus turba pudica nurus
Arboribus fœlix: fœlix ſit frugibus annus.
Sitqꝫ ferax tellus: omnigenumqꝫ pecus
Pax ⁊ lęta tuos foueat concordia ciues
Inqꝫ vicem popul⁹ ſeqꝫ ſenatus ament
Qua tibi ſponte pius ceſſit geruaſius ędem
Incolis immodica relligione locum
Fac rata vota pij vatis regina: preceſqꝫ
Proqꝫ rudi nitidum te penetrale manet
Quod lapis eſt mox marmor erit ſplendebit ⁊ auro
Hęc templi facies quę carioſa tibi eſt
Centum thure pio ſertiſqꝫ recentibus arę.
Spirabunt tepidis quęqꝫ operata focis
Exoluent populi ſeqꝫ hęc ad limina votis
Suſpendentqꝫ tuo grandia dona tholo.
Hęc te diua manent maioraqꝫ p̄mia: ſed tu
Sępius huc adſis rite vocanda tuis

¶ Et ſic eſt finis hui⁹ libri

¶ Gregorij Tipherni hymn⁹ in v̄ginē dei matrē.

Jrgo decus cœli: v̄go ſanctiſſima virgo
Quę ſuper angelicos es veneranda choros
Tu niueas formoſa roſas: tu candida vincis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Lilia:tu vultu vincis ⁊ aſtra tuo.
Pura columbellę ſimilis:quam lactea veſtit
Penna:nec in toto corpore menda ſedet.
Quas tu non longe pręcedis virgo ſibyllas
Quę tibi conferri deniq; diua poteſt.
Tu mater dilecta dei:tu ſponſa vocaris.
Pręcipua tm̄ virginitate places.
Quę licet ędideris dictu mirabile chriſtum
Attamen vt fueras intemerata manes
Per te noſtra caro:meritis ita fœmina fulges
Eſt immortali conciliata deo
Tu ſacrum templum:tu fons vberrimus ille es
Cuius inexhauſtam detrahit vnda ſitim
Imus ad ęthereas te nos interp̄te ſedes
In cœlum:p̄ te v̄go pateſcit iter
Auxilio regina tuo non vllius arma:
Nullius horremus te vigilante minas
Tu clypeus:tu torax:tu mortalibus vnum.
Pręſidium miſeris perfugiūq; pates
Quum malus aſſidue mortales raptor oberret
Eſuriens pauidas vt lupus ambit oues:
Tu facis inſidias ei⁹ vincamus ⁊ artes:
Tu rapido tutos a phlegethonte facis.
Tu precibus ſupplex nunq̄ ceſſantibus oras:
Ut nati fiat mollior ira tui.
Ni facias:adeo paſſim cernere nocentes:
Funditus humanum deleat ille genus
Tu pia ſperantes in te non deſeris vnq̄:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Tu vacuas clemens non ſinis eſſe preces.
Tu das optatam languenti ſepe ſalutem:
Eripis e duro carcere ſepe reum.
Te vocat in partu mulier: te miles eandem
Subuenias querulo ſaucius ore rogat.
Sepe procellaſo iactatis equore nautis
Dirigis in portum ſtella ſerena ratem
Erigis afflictos: egris ſolacia prebes
Sepe venis terra: ſepe vocata mari.
Tu morbos duramqꝫ famem bellumqꝫ coherces
Exigis a terris: peſtis ⁊ omne genus
Hinc votiua tuis ponuntur munera templis
Que ſita ſunt virgo millia multa tibi.
Nemo per hec tutus ſine te deſerta viator
Nemo per hoc pelagus te ſine ſoſpes erit.
Et quoniam claudis portas ⁊ pandis olympi
Et quia tu talis: ⁊ quia tanta potes:
Fer precor auxilium virgo ſanctiſſima nobis
Et ſeruatricem porrige queſo manum.
Illiſa eſt ſcopulis ⁊ fundo impacta carina.
Nec ſine te nauis currere noſtra poteſt.
Nam niſi pro ſolita tu nos pietate miſellos
Foueris. ad cuius confugiemus opem

¶ Salutatio Virginis diue Marie. Maphei Vegij Laudenſis

Irgo decus noſtrum cuius ſe credidit aluo
Diuum ille eternus rex hominumqꝫ pater
Cuius ab humano ſanctiſſimus ille deorum

Atqꝫ incorrupto ſanguine natus homo eſt
Salue virgo ſalus hominum ſalue optima noſtrę
Quę fidei ⁊ noſtrę iura ſalutis habes
Salue virgo humiles placido tibi dicimus ore
Tu pia cantatas ſume maria preces
Salue virgo tuis flentes aduoluimur aris
Te dignam noſtris fletibus eſſe ſinas
Salue quę feſſis requiem mortalibus affers
Quę portus populo leuis ⁊ aura tuo es
Salue quę miſeros releuas quę paſcis egentes
Quę ſancto lapſos erigis auxilio
Quę regis errantes quę das ſolacia mœſtis
Quę perturbatos concilias animos
Salue virgo parens animarum ſedula cuſtos.
Quę nunq̄ꝫ fruſtra quando vocaris ades
Tu ſpes certa boni: noſtrę tu ſemita vitę
Tu vita ⁊ fidei firma columna ſacrę
Tu fons vnde fluit quęcunqꝫ eſt gratia nobis
Tu dux qua nunq̄ꝫ nos duce fallit iter
Virgo in te cōuerſi omnes ſperamus: opemqꝫ
Poſcimus alma tuum reſpice virgo gregem
Reſpice virgo gregem mitis tutare tuumqꝫ:
Conſule ſupplicibus conſule virgo tuis
Virgo precare tuum virgo mitiſſima gnatum
Funde preces gnato funde maria tuo.
Quem ſola ętheréis decliuem ſedibus ad te
Traxeris ad miſeri vincula ſeruitij
Quem de patre deo genitum te matre fatemur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Non poterit precibus flectier ille tuis
Ille tibi arbitrium ius imperiumqȝ deorum
Aeterna in diuos ſceptra tibi ille dedit
Ille tibi cœlos parere ⁊ ſidera iuſſit
Angelicos poſuit ſub tua iura choros
Tu regina hominum facta es regina deumqȝ
Te celebrant diui te celebrant homines
Ipſa iter ad ſuperos reſeraſti: ad cœlica regna
Cœlica nequaqȝ regna adeunda prius
Ipſa erebi tetro ſeruaſti e carcere ripam.
Tutata auxilio es nos pia virgo tuo
Ergo quando tibi tanta eſt conceſſa poteſtas.
Quando ⁊ pro noſtra nata ſalute venis
Suſcipe virgo tuis ⁊ nos defende ſub alis
Nos fragile humanum protege virgo genus
Infectum tanta peccati labe: tot extant
Tam longa in gnatum crimina noſtra timet
Ut quis enim ſine te ſperet leuire precando
Quis ſine te veniam ſperet opemqȝ ſuam
Salue quas dedimus virgo tibi vita preceſqȝ
Uirgo interceſſor noſtra fer ante ieſum

¶ Finit ſalutatio Uirginis Maphei Vegii Laudenſis Impreſſa Dauentrie In platea epiſcopi. Anno domini M.cccc.xc. Decimanona Januarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 44